

ta, ut illi qui nullum signum dat, sed Christiane vixit, vel antea petit Confessionem, cui adhibenda est absolutio cum cautela: *In quantum possum, et tu indiges.* Possev. *dict. c. 7. n. 89. relat a Barbosa de Off. et potest. Paroch. n. 47.*

§. XX. Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse injungendam gravem, aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta qualitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

98 Poenitentia facilius injungenda aegris gravi morbo, et in extremo laborantibus est, ut offerant libenti animo Deo infirmitatem, et illius dolores in satisfactionem peccatorum suorum. Caeterum si convaluerint, per modum concilii, imponenda est poenitentia laboriosior, et diuturna, peragenda in perfecta sanitate.

99 Ut plurimum aegris imponi solent pro poenitentia, Orationes vocales, et jaculatoriae, eleemosynae (si facultates id permittant) faciendae de mandato sui, vel etiam, si valeat, manu sua. Ideo dicit Textus: *juxta qualitatem morbi;* quia si morbus est gravis, levis esse debet Poenitentia, ne magis ac magis morbus augeatur. Si morbus vero est levis, gravis esse potest poenitentia, sed semper habitu respectu ad gravitatem, et periculum morbi, in quo casu standum est judicio prudentis Medici: ex quo fit ut facilius infirmus inducatur ad acceptationem talis poenitentiae, et sic aliquo modo poenam in futuro saeculo habendam imminuat, Fulien. *d. c. 4. Res. 3.*

ABSOLUTIONIS FORMA.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Confessarius post narrata peccata devenire debet ad absolutionem.
- 2 Est in potestate Confessarii absolvere, vel non.
- 3 Ante Absolutionem est imponenda Poenitentia.
- 4 Poenitentia est inductiva ad obtinendam Absolutionem.
- 5 *Misereatur.* etc. dicitur, quia a Deo provenit misericordia.
- 6 Manus elevatio, Confessarii jurisdictionem demonstrat.
- 7 Poenitens non dimittendus sine manus elevatione.
- 8 Absolutio clare exprimi debet.
- 9 Absolutionis verba essentialia.
- 10 Suspendio tantum incurritur a Clericis.
- 11 Absolutio brevis in magno Poenitentium concursu.
- 12 Absolutio in periculo mortis.
- 13 Absolutio danda in agone.
- 14 Confessarius dum dicit, *Misereatur,* debet stare aperto capite.
- 15 Dum absolvit, cooperire debet.

1 Quae sequuntur, pertinent ad Absolutionem Sacramentalem, ad quam pervenire debet Confessarius post plene enarrata peccata a Poenitente, post monita, et consilia, et post alios dialogismos, qui necessarii visi sint Confessario ad implorandam a Deo veniam.

§, I, Cum igitur Poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata Poenitentia salutari, primo dicit: *Misereatur tui, etc.*

2 Ex illo verbo, *voluerit* deducitur, esse in potestate Confessarii absolvere, et non absolvere Poenitentem, quod tamen debet semper fieri rationabili de causa.

3 4 Ante vero absolutionem, debet Confessarius imponere satisfactionem, et Poenitentiam: cum enim Poenitentia sit inductiva ad obtinendam misericordiam, priusquam hujus misericordiae effectus videatur, debet promoveri per poenitentiam. Sed ista Poenitentia ad nihilum valeret nisi esset acceptata: tum quia in Concilio Florentino inter poenitentis actus ponitur satisfactio operis ad arbitrium Sacerdotis tum quia ibidem statuitur, ad integritatem Sacramenti Poenitentiae requiri ex institutione Divina, contritionem, confessionem, atque satisfactionem. Tum quia Conc. Trid. *sess. 14. cap. 8.* docet, claves Sacerdotum non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum, scilicet per impositionem Poenitentiae, concessas esse: non essent autem concessas ad ligandum, nisi poenitens iis ligari posset, atque ideo nisi teneretur Poenitentiam sibi impositam implere, Fulien. *d. l. 3. c. 4. res. 4.*

5 Acceptata a poenitente Poenitentia, Sacerdos primo dicit, *Misereatur, etc.* ut demonstret, misericordiam a Deo, non ab homine illi obveniendam, Gavant. *part. secunda, tract. 4. de Confess.*

§. II. Deinde dextera versus Poenitentem elevata dicit: Indulgentiam, absolutionem, etc.

6 Ista elevatio manus est primus actus, quo Sacerdos demonstrat jurisdictionem suam: item signum est extrinsecum victoriae contra peccatum: desumpta enim est a veteri Testamento, nam Moyses levando manus vicit Amalecitas, *Exod. 17. Gavant. part. 2. tract. 5. litt. y.*

7 Advertant Confessarii, ut alibi diximus, non debere aliquem poenitentem dimittere sine manus elevatione, etiam si non absolvant; scandalosum enim esset, et aliquantisper revelaretur Confessio, si tam parenter dimitteretur Poenitens absque absolutione. Elevatio itaque manus cum aliqua vocali Oratione non adeo clare demonstrat Poenitentem discedere inabsolutum.

8 Insuper curare debet Confessarius, ut absolvendo, vocem exprimat clare, et integre: nam si voces essentielles absolutionis eliderentur in gutture, ita quod immutaretur omnino significatio, Sacramentum remaneret invalidum. Si eliderentur caeterae preces, utique perficeretur Sacramentum, sed Confessarius reus esset irreverentiae in re Sacra, et scandali apud Poenitentes. Debent igitur singula verba proferri lente, graviter, distincte, tamquam habente auctoritatem, sed paternam,

ita ut appareat in Confessario et zelus animarum, et reverentia erga res divinas, Campion. *n. 30.*

§. III. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine, etc.

9 Haec sunt verba essentialia, et substantialia absolutionis: caetera sunt, vel praeliminaria, vel subsequencia: et his praetermissis adhuc poenitens remaneret absolutus: sed si praetermitterentur ista, *Ego te absolvo etc.* Sacramentum remaneret imperfectum, et poenitens non absolutus quia haec vere est forma Sacramenti, sine qua Poenitentia Sacramentalis non subsistit. Si vero praetermitteretur finis, nempe *In nomine Patris, etc.* adhuc absolutio esset valida, quia verba ista non sunt de essentia formae, prout sunt in Sacramento Baptismi, ut jam diximus Engel. *p. 3. c. 2.* Quaerunt nonnulli, inter quos Nicolius flosc. Verb. *Absolutio*, et Sarnell, *epist. eccl. T. 4. ep. 42.* an adverbium illud *Deinde* sit necessario pronuncianum in forma Absolutionis, adeo ut, eo verbo praetermisso, absolutio sit invalida. Nicolius respondet aequum esse pronunciarum tale verbum; Sarnellus vero posse stare absolutionem licite et valide opinatur absque tali verbo. In tali dubio quid resolvendum? Quidquid sibi libuerit agat Confessarius: adverbium enim illud non est de substantia formae Absolutionis; tutiorem opinionem crederem illam Nicolii.

Nonnulli Confessarii, reverentiae, et urbanitatis gratia, dum peccata audiunt alicujus Magnatis, vel Principis, vel Nobilis Viri, et in dignitate constituti, solent in sacramentali absolutione supperaddere consuetas, et simpliciter necessariae formae *Ego te absolvo etc.* titulos honorificos gradus, et dignitatis Poenitentis, immutando pronomem *Te* in haec, vel similia verba. *Absolvo dominationem vestram: Magestatem: Eminentiam, vel Excellentiam vestram etc.* Circa quem usum quaerunt D D. an Absolutio tali modo impertita sit valida? Et omnes cum Anacleto *de Sacram. Poenit. tract. 14. dist. 6. q. 3. n. 30.* affirmant validam esse, eo quia non mutatur substantialiter forma, cum sint verba aequivalentia. Quod utique concedo; sed an licita sit haec Absolutio talibus verbis impertita, affirmare non audeo. Certe quicumque sit, qui peccata sua confiteatur, personam Rei, et Peccatoris induit; et Confessarius Personam Judicis, et Jesuchristi Salvatoris gerit, cui cedunt omnes Potestates, et omnium jura Regnorum, quique Deus dorum est, et Dominus Dominantium. Cumque sedeat Confessarius pro Tri-

COM.—P. 28.



bunali, et Poenitens genibus flectat tamquam Reus dolens, et moerens, non bene cum ista formalitate concordant verba dignitatis, et excellentiae, ubi cuncta penes Poenitentem redolere debent humilitatem, non vero mundanam gloriam, quae apud Deum nihil est, ut jam diximus *Tit. 18. n. 22. fol. 89.* Ultraquam quod de communi praxi, et stylo Tribunalium in causis criminalibus et in Reorum examine est, Reum quamvis altae conditionis, et dignitatis, nunquam titulis celebrare, sed nudo nomine, et ad plus cum denominatione gradus sui, e. g. Doctoris, Comitis, Marchionis, principis, et similibus, interrogare, et monere, et tamen euasa est inter Homines, et Homines; ergo a fortiori abstinendum est a similibus in sacro Tribunali poenitentiae, ubi causa est inter Deum, et Hominem. *Ascalon. Procces. Inform. tit. 1. n. 2. §. nobiles etc.*

§. IV. Si poenitens sit laicus, omittitur verbum, suspensionis, etc.

10 Suspendio tantummodo incurritur a Clericis: apud *Coninck. dis. 15. dub. 1. n. 1.* ubi sic habetur ejus definitio: Est censura Ecclesiastica, qua Clericus privatur usu potestatis, quae illi, ratione Officii Clericalis, seu Ordinis, aut Beneficii convenit. Nonnulli addunt: ita tamen, ut non privetur tota potestate in perpetuum, quia tunc esset potius depositio, aut degradatio, quam suspensio, sed hoc absolute loquendo est necessarium, ut ostendi inde *Coninck. disp. 16. n. 3.*

Virtute suspensionis absolute suspensus ab officio, prohibetur exercere omnes illas actiones, quae Clericis omnino propriae sunt: quales sunt omnes actiones jurisdictionis Ecclesiasticae, et omne exercitium Ordinis, aut Officii Clericalis.

Cum ergo Laici non possint incurrere in hanc censuram, praetermitti debet illud verbum in eorum Sacramentali absolutione.

§. V. In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus ommitti potest, *Misereatur*, etc. Et satis erit dicere: *Dominus noster*, etc. ut supra, usque ad illud: *Passio Domini nostri*, etc.

11 Certe occasione magni concursus, puta insignis solemnitatis, et Indulgentiae universalis, et plenariae, seu Jubilaei,

dum ante sedes Confessionales stipantur poenitentes in magno numero, quaerendus est sollicitior modus expediendi se, ut populo satisfieri possit. Ideo in hoc casu Rubrica nostra praescribit modum tenendum, et secernit formam necessariam, seu verba restrictiora in forma absolutionis. Omitti igitur potest introductio ad absolutionem, nempe. *Misereatur, etc. Indulgentiam etc.* imo in praxi observatum vidi saepius occasione magnae frequentiae, Confessarios totam formam absolutionis perstringere ad illa verba: *Ego te absolvo, etc.* quae verba vere sunt de necessitate, et essentia Sacramenti, nec unquam omitti possunt, et si omitterentur, Sacramentum imperfectum esset, atque invalidum, quia in Judicio deesset definitiva sententia, *Coninck dicto loco citato.*

§. VI. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis in nomine Patris, etc.*

12 13 Ecce quomodo tota formula restringitur ad essentialia verba, ad hoc ut Sacramentum valeat. Hac restricta formulati debent Confessarii praecipue cum morientibus tunc, quando ultima respiratione laborant, et in agone positi sunt, quia difficile est ultimum halitum distinguere: adeoque cum viderit Agonizantem adhuc leniter respirare tunc ipsi, ut ita dicam, vibrent hanc brevem formulam, ut aliquo modo succurrant animae illius. Idem dicendum est de Sacerdotibus, qui pro iis, qui ad supplicium damnati sunt tamquam consolatores adhibentur: tunc cum vident imminentem ictum mortis per manus carnificis, praesto sint ad pronuntiandam istam brevem formulam, priusquam moribundus destituatur.

14 15 Postremo nutandum venit cum *Corsett. dict. num. 25.* Confessarium debere stare aperto capite, tunc cum dicit: *Misereatur, et Indulgentiam:* quia tunc orat pro poenitente, et Divinam misericordiam implorat super eum. Quando vero absolvit, cooperit se: tunc enim vices Judicis gerit, et sedet pro tribunali, in quo Judex semper caput tegit, *Branccacc. de Jure doct. c. 42. Acta Eccl. Mediol. apud Corsert. d. l.*

